

rationalis est spiritus intelligens, gaudens societate corporis, seu informans corpus humanum, seu informans hominem: corpus humanum est substantia ab anima informata. Hic cavere oportet, ne partem ponamus pro genere integri. Vitiose igitur judicantur hæ definitiones; Animal est anima corpori conjuncta; vel, Animal est corpus animam præditum.

2 *Pars integralis definitur materiali, formali, sine seu actionibus propriis, & accidentibus:*

Ut, Cor est pars corporis, officina spirituum vitalium, figuram pyramidale.

Ens collectivum est vel substantia collectiva, vel accidens collectivum. (fectior.

Substantia collectiva est perfectior, vel imper-

Perfectior est, quam Deus certo quodam ordine ex variis substantiis in unam collectis constare voluit.

Ejus canon est:

*In collectivis perfectis generi addatur formale, quod est relatio seu dispositio, itemque causa efficiens & finalis:*

Ut, Mundus est compages omnium creaturarum, à Deo ordinatissime & pulcherrime concinnata, ut ipse quotidie magis magisque coleretur.

Substantia collectiva imperfectior est, quæ talis est ex hominis ordinatione.

Estque; vel magis, vel minus ordinata.

Magis ordinata, ut exercitus, definitur genere & differentiâ sumtâ ab ipsâ ordinatione, efficiente & fine:

Ut, Exercitus Belgicus est multitudo hominum collectorum ab ordinibus confederatis, divisus in tot signa, hujus vel illius gratiâ.

Minus ordinata, ut est acervus tritici, loco differentiae habet finem: